

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica reminiscere

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

2. *Ex una eademque cum Patre essentia.* Eò collineat geminum hoc juramentum : Amen, Amen, dico vobis, qui accipit, si quem misero, me accipit : qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.

Hoc verbi *Praconibus* magno est solatio. Quia enim pro Christo legatione funguntur, 2. Cor. 5. v. 20. ejus patrocinio niti & certi esse possunt, quod Dominus quæcunque sibi eveniant, visurus & requisiturus ea sit, 2. Paral. 24. v. 22.

*Auditores* verò caveant sibi, ne Christi legatos despiciant, sed eosdem accipiant, h. e. omnia bona exhibeant. Hoc Christo ipsi præstatur. Qui enim inquit, accipit, si quem misero, me accipit : qui autem me accipit, accipit eum, qui misit me. O do-

mum beatâ! in quâ ejusmodi hospites grati conveniunt. Quis Christum non susciperet ? Quis non Patrem cœlestem ? At qui audis hîc, quod quando Christi Ministros accipis, id eodem ipsum loco habiturum esse, ac si Christum ipsum ejusque Patrem cœlestem accepisses. Ipse enim & Pater unum sunt, Joh. 10. v. 30. Quin & tales beneficos vicissim recipiet in æterna tabernacula, Luc. 16. v. 9. Ubi tùm demùm plenè experientur, quomodo Filius in Patre, & Pater in Filio sit, & summum hoc Mysterium cum omnibus Angelis & Electis venerabuntur in æternum.

Fiat id per Christum, Dominum & Servatorem nostrum,  
Amen.

## DOMINICA REMINISCERE.

Textus

*Historia Passionis juxta quatuor Evangelistas.*

EXORDIUM.

**H**Odierna Dominica ab antiquis temporibus appellatur Reminiscere, quia olim in Ecclesia Latinâ in introitu cantarunt ex Psalm. 25. Reminiscere Domine miserationum tuarum. Hoc ipso Majores nostri respexerunt prælectum Evangelium, in quo de muliere Cananæ agitur, quæ Christi auxilium imploravit : Miserere mei Domine, Fili David : Filia mea malè à Dæmonio vexatur. Ille verò nullo principio ipsi verbum respondere voluit, donec tandem ad iteratas ejus supplicationes, misericordiâ suâ superatus, ipsi auxilium his verbis præstitit : O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.

Et

Et sanata est filia ejus ex illâ hora, ut Matthæus indicat c. 15. v. 21. seqq.

Nos quoque Reminiscere nostrum celebrare possumus, quando pro instituti ratione, juxta manuductionem prælecti Evangelii consideramus

I. *Triplicem querelam*, ubi nobis exhibetur

1. *Mundi ingenium*, qui veritatem ferre nequit. Cur enim Christus secessit in partes Tyri & Sidonis? Non aliam ob causam, quam quia Phariseis & Scribis veritatem dixerat; id malè habuit eos, ut Servatorem odio infensissimo prosequerentur, & consilium de ipso interficiendo inirent. Verùm Christus insidias eorum animadvertens, in tempore fugâ sibi consuluit. Idem piis Christianis evenit. Quia enim de mundo non sunt, sed Christus elegit eos demundo, propterea odit eos mundus, Joh. 15. v. 19.

2. *Filiolæ periculum*, quæ malè à Dæmonio vexabatur. Id Deus ita permisit, hodieque permittit, quando parentibus in memoriam revocare vult, quomodo in juventute vitam degerint. Quando enim patres comederunt uvas acerbis, dentes filiorum obstupescunt, Ezech. 18. v. 2. adeoque parentum pœnam lueretentur, quale in Davidis filiolo exemplum habemus, 2. Sam. 12. v. 14.

3. *Matris repudium*, quod tertiâ vice fert, idque propter peccata factum: erat enim mulier gentilis, sicut adhuc hodie Deus peccatores non audit, Joh. 9. v. 31. Peccata enim nos & Deum nostrum dividunt, Esa. 59. v. 2.

II. *Triplicem medelam*, quæ fluit

1. *Ex orationis victoria*, quam & nobis

commendatam habeamus. Multum enim valet deprecatio justî assidua. Jacob. 5. vers. 16.

2. *Ex fidei gloria*. Dicit enim Servator: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Ita perpetuò oculi ejus respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. Ideo hæc præcipua nostra cura sit, ut habeamus fidem & bonam conscientiam, 1. Timoth. 1. v. 19. 1. Joh. 3. v. 23.

3. *Ex miraculosa sanationis memoriâ*. Sanata enim est filia ejus, ex illâ horâ. Hinc apparet, quàm præstantem Servatorem & auxiliatorem in Christo habeamus, qui non modò os veridicum, cujus opera sunt in veritate, Psal. 33. v. 4. sed & manum omnipotentem habet, quâ omnia mutare valet, Psal. 77. v. 11.

III. *Triplicem cautelam*, tribus Regulis inclusam, quarum

1. *Indefinenter clama*, juxta illud: Tristatur aliquis vestrum? oret. Jac. 5. v. 13. Hoc optimum medium est, à Deo ipso præceptum, Psal. 50. v. 15.

2. *Repulsam tolera*. Id mulier Cananæa observavit, à qua nos idem discere debemus, ne resiliamus, si Christus quandoque peregrinum se simulet, sed auxilium patienter expectemus. Quia non repellat in sempiternum Dominus, Thren. 3. v. 31. seqq.

3. *Catellum te presta*. Quemadmodum enim catellus coram mensâ expectat & tandiu latrat, dum ossa panis ei obiciatur: Ita nostrum quoque erit, ut coram Deo nos humiliemus, dum micæ misericordiæ ejus accipiamus. Non enim sibi potest homo accipere quicquam, nisi fuerit datum de cælo, Joh. 3. v. 27.

Hæc

Hæc iterum hodierni Evangelii idea est, quam in Exordio hoc præmittere volumus. Jam ad meditationem Passionis Dominicæ nos conferemus, cujus Propositio trimembris est:

- I. Christi contristatio.
- II. Apostolorum litigatio.
- III. Status futuri prænnunciatio.

J. J.

Exegesis.

Nullum est gaudium, sine dolore, tri-  
to proverbio dicitur. Id Christo Ser-  
vatori nostro accidit. Sicut enim in præ-  
cedentibus audivimus, ardenti flagravat  
desiderio, discipulis suis valedicendi, &  
cum iisdem agnum Paschalem comedendi:  
Sed gaudium illud non diuturnum  
fuit. Cum enim accumberet cum duode-  
cim, & proditorem suum coram conspi-  
ceret, turbatus est Spiritu, tristissimâ usus  
querelâ, hisce verbis: Amen, Amen dico  
vobis, quia unus ex vobis tradet me, ma-  
nus tradentis me, mecum est in mensa.

Hic notemus

I. Ipsam querulationem, quam Evange-  
listæ describunt

I. Ratione temporis. Cum enim JESUS  
hæc dixisset, intellige, vos mundi estis, sed  
non omnes, & videbar, Judam hæc om-  
nia despiciere, valdè perturbatus est, &  
nihilominus in ejus commodum peculiarem  
actionem instituit, tentans, utrum  
ipsum ad frugem reducere possit. Non  
enim delectatur morte morientis, Ezech.  
35. v. 32. idèd dissimulat peccata homi-  
num propter pœnitentiam, Sap. 11. v. 24.

sed apprimè cavendum est, ne divitiarum bo-  
nitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis  
contemnamus, Rom. 2. v. 4. Tàm cito  
enim irasci potest, quàm miseri, & ira  
illius in peccatores non desinit, Sir. 5.  
v. 71.

2. Ratione ponderis, quod observabis,  
considerando

1. Contristationis modum, turbatus enim  
est Spiritu (ἐταράχθη h. e. tanto dolore  
perculsus est, ut eum abscondere non  
potuerit, & vehemente r animum ejus an-  
xit, quod nocentissimum ejusmodi co-  
lubrum in sinu quasi suo foverit, & proditorem  
suum hæcenus commensalem alue-  
rit. Non leviter enim mordere solet,  
quando pro beneficiis è fido pectore pro-  
fectis, nil nisi ingratitude recipimus,  
Si inimicus meus maledixisset mihi, susti-  
nuissem utique. Tu vero quasi ordinis  
mei dux meus, & notus meus, Psalm.  
55. v. 13.

Hoc probè tenendum est. Adhuc ho-  
die identidem in magnam animi pertur-  
bationem & tristitiam conjicimur, aut, ra-  
tione commissorum peccatorum, quæ  
animum nostrum angunt, aut quod clan-  
destinum animi scrupulum habeamus, ra-  
tione multarum miseriarum, quibus ab  
utero matris usque in sepulchrum subje-  
cti esse tenemur. Cibabat enim nos Deus  
pane lacrymarum, & potat nos lacry-  
mis copiosè, Psal. 80. v. 6. Sed confi-  
dite, Dilecti! JESUS socius noster factus  
est, & perturbatione suâ, Ordinem mœ-  
storum sanctificavit, ut Deum diligen-  
tibus omnia in bonum cooperentur,  
Rom. 8. v. 28. & cum venerit tempus  
refri-

refrigerii, Act. 3. v. 20. omnis nostra tristitia in gaudium vertetur, Iohan. 20. v. 20. Dominus enim absterget omnem lacrymam ab oculis nostris, Apoc. 7. v. 17. ut cum Iubilatione melsuri simus, quæ in lacrymis seminavimus, Psalm. 126. v. 5.

2. *Verborum sonum.* Amen, Amen, dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, manus tradentis me, mecum est in mensa.

O quoties adhuc hodie accidit, ut Christiani Parentes, Patres. & Matres familias Judam suum in mensa alant? Hi sunt sive filii degeneres, qui beneficia à parentibus accepta non agnoscunt, iisque amaritudo Spiritus sunt, ut Esau, Gen. 27. v. 41. & Abfolon, 2. Sam. 15. v. 30. seqq. sive infidelia famulitia, quæ cum Dominis mensæ accumbunt, ex eadem patinâ edunt, & sæpè beneficiis liberorum fruuntur, attamen ingratitude eorum tanta est, ut heros & heras contumeliis proscindant, imò si vitam eorum & opes cum sanguine perdere possent, non intermitterent, veluti exemplum Zibæ demonstrat, 2. Sam. 16. v. 4.

Hæc magna injuria est: Sed quicumque eam experiuntur, exemplo Christi se solati poterunt, qui idem à proditore suo Judâ, quem multis iisque amplissimis beneficiis affecerat, expertus est. Tandem certissima pœna ingratos illos cuculos manebit. Non enim bene erit beneficia non compensanti, Siracid. 12. v. 3. Verè enim cum Juda tandem ad restim deveniunt, si non eo modo, tamen ita ut maledictione pedissequâ infestentur per omnes dies vitæ suæ. Sir. 3. v. 7. Prov. 27. v. 13.

Docet verò nos Christus exemplo suo, quod perturbationem in animo non fovere & abscondere, sed in sinum fidi amici effundere debeamus, Vox enim amici vox Dei, Prov. 16. v. 24.

II. *Discipulorum perturbationem*, quam declarant

1. *Externo dolore.* Contristati enim valdè, adspiciebant ad invicem discipuli. Nos exemplo eorum instructi, si verbi Præcones de impœnitentiâ & securitate hominum conquerentes audiamus, non insuper id habeamus, aut ludibrio & risui exponamus, sed ex animo gemamus & doleamus, super cunctis abominationibus, quæ in mundo hoc maligno perpetrantur, Ezech. 9. v. 4. Hoc ita Deo arridet, ut sæpè hoc ipso permoveatur ad parcendum toti urbi, imò integræ regioni. Convertimini ad me, in toto corde vestro, Joel. 2. v. 12. seqq.

2. *Animi angore.* Animi enim angebant sese. Hoc bonum est indicium. Filii hujus seculi illudunt peccatum, Prov. 14. v. 9. nullus est qui doleat, & agat pœnitentiam, super peccato suo, dicens, quid feci? Jer. 8. v. 6. Verùm, qui sincero sunt corde, de peccatis contristantur, dicentes cum Jobo: Si erravi, & iniquitatem locutus sum, ultra non addam, Job. 34. v. 32. Hæc optima est respicientia. Si impius egerit pœnitentiam, non morietur, Ezech. 18. v. 21.

Quem verò legis Præcones non possunt ad mentis angorem permovere, hîc in tempore gratiæ, illum aliquando dolores infer-

infernī circumdabunt, Psal. 18. v. 6. Esa. 66. v. 24.

3. *Verborum tenore*, ipsi enim cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Et cœperunt singuli dicere, Nunquid ego sum Domine?

Hic egregium exemplum habemus, quomodo conciones verbi divini non superficialiter, ut plerisque familiare est, audire debeamus, sed cum verâ animi devotione, ut conscientiam nostram examinemus, si peccata & flagitia ex suggestu reprehendantur, dicentes: Nunquid ego sum? Ejusmodi conscientiæ Examē multos ad pœnitentiam perduxit, qui aliàs in damnationem incidissent. Qui auditores verò verbi sunt, non verò factores, comparabuntur viro, consideranti vultum nativitatis suæ in speculo, Jac. 1. v. 23. ideoque nullum hinc emolumentum capiunt, sed verbum quod audierunt, nec fecerunt, judicabit illos in die novissimo. Joh. 12. v. 48.

III. *Proditoris manifestationem*, factam à Christo

1. *Generatim*, ubi observandum

1. *Indicium*. Dicit enim Dominus: Unus ex Duodecim, qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

Apostoli erant lumina mundi, Matth. 5. v. 14. sed non sine delicto fuerunt, quin imò ex illis unus Diabolus factus est, Joh. 6. v. 70. Id adhuc nobis inservire debet, ne efferamur, sed cogitemus: Si in viridi ligno hoc factum, in arido quid fiet, Luc. 23. v. 31.

2. *Supplicium*. Filius quidem hominis

vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi, per quem Filius hominis traditur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

Quando Christus væ clamat, non vanum id est. *ῥήματα* enim ejus sunt *πράγματα*, Ezech. 37. v. 14.

Atqui adhuc hodie per Ministros suos væ annunciat, quando eosdem in suggestu sistit, ut quasi tubam exaltem vocem & annunciet populo transgressiones eorum, Esa. 58. v. 1. ubi sanè quandoque dicitur: Væ vobis, viri impii, Sir. 42. v. 11. quod non minus efficax est, ac si Dominus ipse clamaret. Qui enim vos audit, me audit, Luc. 10. v. 16. Hinc meritò stimulum ejus in conscientia sentientes cum Væ respondeamus: Væ nobis, qui adeò peccavimus! Sic jucunda orietur Echo, & Deus ad misericordiam permovebitur. Irritata enim est anima ejus super miseria Israelis, Iud. 10. v. 16. Sap. 4. v. 15. Psal. 55. v. 23.

3. *Frontispicium*, Iudæ Proditoris. Cæteris enim discipulis Dominum alloquentibus & quærentibus: Nunquid ego sum Domine? ipse totus exhorrescere debuisset, sed perfriatâ fronte quærit, quasi nihil ad se attineret: Nunquid ego sum Rabbi!

Hic ingenium omnium hypocritarum nobis depingitur, qui animum suum malè feriatum pulchrè celare norunt. Sed seipfos fallunt, Væ, qui profundi estis corde, Esa. 29. v. 25. Insipientem enim esse oportet, qui Dominum celare audet consilium suum, Iob. 42. v. 3. cujus oculi multò lucidiores sunt ipso Sole, Sir. 23. v. 27.

2. *Speciatim.* Magis enim ad speciem descendit, discipulisque reliquis peculiaria indicia præbet, ex quibus hominem hunc nefarium & ingratum deprehendere debeant.

Ubi consideranda

1. *Petri cura.* Innuit enim Johanni, qui supra pectus Jesu recumbebat, quia diligebat eum, ut exquireret, quis esset, de quo Jesus diceret, quod se traditurus esset.

Conspicimus hinc, quod & unus ex Apostolis majori zelo præditus fuerit, quam alter. Johannes recumbebat supra pectus Jesu, sed non tanto fervore rem agebat uti Petrus, sed per eum ante commonendus erat, quam proditorem investigaret. Ita dona diversa sunt, ut alius nutu suo plus efficiat, quam alius objurgationibus & imprecationibus. Sed Auditores dissimiles sunt. Johannes acturum animadvertit, ubi Petrus innuit. E contrario alii reperiuntur, qui fulgura si minitentur, despiciunt. Percussisti eos, & non doluerunt, Jer. 5. v. 3.

2. *Christi tinctura.* Ubi enim Johannes quærit, Domine, quis est? Ecce, Dominus offam panis intingit, sine dubio embammati, quod juxta agnum Paschalem comedere tenebantur. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ, Simonis Iscariotæ. Tum sentit Judas, quod manifestus esset, ideo post buccellam introivit in eum Satanas, non quod per buccellam hanc Satanas ipsi comedendus exhibitus fuisset: sed quia hoc ipso, quod Dominus eum manifestaverat, eò magis exasperabatur pessimum suum propositum in rem ipsam deducendi.

Hic ideam habemus eorum, qui indignè sacrâ cœnâ utuntur. Licet enim & illi corpus & sanguinem Domini accipiant, cum pane & vino benedicto, attamen non ipsis ad vitam, sed in judicium & damnationem cedit. Hic verò corpus & sanguis Christi minus in culpâ est: sed illi ipsi, qui illotis manibus & lævo corde corporis & sanguinis Dominici participes se redderunt, 1. Cor. II. v. 27.

3. *Judæ ruptura.* Dixit enim ei Jesus: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia oculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis, ad diem festum. Non enim precariò Christo quicquam dabatur, quæ edere volebat, emere tenebatur. Alii putabant, commonefacere eum Christum, hoc ipso, ut egenis aliquid daret. Verum Judas melius cæteris omnibus intelligebat, ideo itacundiâ percitus abibat, ejus exequendi gratia, quod sibi proposuerat. Ubi Evangelistæ non sine causâ addunt: Erat autem nox. Utique Judas nox occupavit, ut lucem vitæ non amplius cernere potuerit, sed à Christo ad Diabolum se contulerit, & è cælo in infernum prolapsus fuerit, in quo hæctenus ignis tormenta passus est, & ulterius patietur in æternum.

Videmus hic ingenium filiorum hujus seculi, quod libenter in abscondito & in tenebris degant. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, Iohan. 3. v. 20. seqq.

Inte-

Interim tamen nihil adeo absconditum est, quod non manifestum fiat, quod si in hoc mundo id non accidit, certe die fiet novissimo, ubi Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, 1. Cor. 4. vers. 5.

De Secundo.

**D**igrediemur nunc ad alteram partem. Apostolorum litigationem contemplaturi. Ubi notanda

1. *Ipsa litigatio.* Ubi describitur

1. *Tempus.* Verba enim antecedentia indicant, contentionem hanc factam esse Hierosolymis, in cœnaculo strato, ubi Servator cum discipulis agnum Paschalem comederat, & simul sacram Cœnam instituerat. Ideo merito aliis, iisque melioribus cogitationibus occupati esse debuissent. Verum hoc non attento, Diabolo morem gerunt, & de prerogativa contendunt.

Videmus hęc, Diabolum eo tempore, quando homo ad devotionem se parat, plerumque negotiosissimū esse, & prohibere, quo minus semen verbi divini in cordibus germinet, radices agat, & fructum producat, dum aufert, quod seminatum est, Matth. 13. v. 14.

2. *Cæsus.* Facta enim hæc contentio est inter Apostolos, qui in vana hac persuasione hætenus fuerant, Dominum & Magistrum suum terrenum Regnum inchoaturum, Herodem & Pontium Pilatum abrogaturum, eorumque sessiones sibi distributurum esse, adeo ut hunc Pro-Regem, illum Cancellarium, istum Consiliarium intimum constitueret, ideo de proœdria in

Regno Christi terreno quod sibi imaginabantur, disceptant.

Hic conspicimus nimiam Apostolorum ruditatem, & simul discimus, quod & inter sanctos ejus nemo integer sit, Job. 15. vers. 15. ideo nemo viribus naturalibus confidere, sed semper in vera animi humilitate vivere debet, cum Paulo dicens: Gratia Dei sum, quod sum, 1. Cor. 15. vers. 10.

3. *Scopus,* quem intenderunt, nempe quis illorum videretur esse major. Quis piscatores hosce tanta ambitione percitos fuisse autumasset? Declinate hoc vitium Dilecti! Et in mansuetudine opera vestra perficite, hoc superat omnia, quæ ab hominibus diliguntur, aut desiderantur, Sir. 3. v. 18.

II. *Secuta placatio.* Ubi ipsis explicat

1. *Regni sui discrepantiam.* Inquit enim: Reges mundi dominantur, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic. Hic audimus, quale Servator Regnum habeat, nempe non terrenum, quale Judæi sibi imaginantur, sed spirituale, quod per spiritum oris tui, verbum & Sacramenta propagat, dispertitque Regni sui consortibus, justitiam, pacem, & gaudium in Spiritu sancto, Rom. 14. v. 17.

Quicumque igitur pecuniam & opes apud Christum quærit, ille nescit, quid quærat, nec intelligit, quale Christus Regnum habeat. Ideo spiritualiter affectos nos esse, & terrenas concupiscentias abnegare oportet, si membra & Regni ejus consortes esse velimus. Amicitia enim hujus mundi, inimicitia est Dei, Jac. 4. vers. 4.

2. *Exempli sui praestantiam.* Nam quis, inquit, major est, qui recumbit, aut qui ministrat? Nonne qui recumbit? Hoc ipso eos ad humilitatem invitare vult ut omnibus superbis cogitationibus ex animo profligatis, exemplum suum sequantur. Quod enim hominibus altum est, abominatio est ante Deum, Luc. 16. v. 15.

III. *Annexa consolatio*, qua animam illis addit, ne de remuneratione officiorum suorum dubitent, dum

1. *Fideliter exaggerat.* Vos, inquit, estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Hoc merito patientiam in nobis excitare debet, ne seducamur à Filiis hujus seculi dicentibus: Vanum est servire DEO, Mal. 3. v. ult. Hic Christum fidelitatem & constantiam discipulorum suorum praedicare audimus. Attendit enim Dominus & audit, & scriptus est liber monumenti coram eo, Mal. 3. v. 16. 17.

2. *Pramia deputat.* Disponit illis Regnum, ut edant & bibant super mensam suam in Regno suo, & sedeant super Thronos, judicantes duodecim Tribus Israël. Hoc allegorice dictum, eoque indicatum est, quod vitam & abundantiam habere in aeternum, Joh. 10. vers. 11. quod mundum, qui hic nos judicavit, vicissim judicare, & magna constantia stare debeamus adversus eos, qui nos angustiaverunt, Sap. 5. vers. 1.

Edo igitur semper anhelemus, quando res adversae in hoc mundo nobis obtingunt. Quemadmodum agricola expectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens, donec accipiat imbrem temporaneum & ferotinum: Sic & nos patientes simus, &

confirmemus corda nostra, quoniam adventus Domini appropinquat, Jac. 5. vers. 7. 8. ibi locupletissimam remunerationem laborum accipiemus, re ipsa compescentes, quod non sint condignae passionnes hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis, Rom. 8. vers. 18.

### De Tertio.

**S**upere est tertium membrum, nempe *Status futuri prae-nunciatio*, ubi attendenda

1. *Valedictoria Concio*, quam Servator ad discipulos suos ante discessum ex hoc mundo habuit. In qua agit

1. *De glorificatione*, de qua loquitur

1. *Subjectivè* dum indicat, quomodo ipse glorificandus sit, & quidem in praerito, quasi jamdum factum sit, ad modum S. Prophetarum, propter certitudinem, quia *dictum Dei habetur pro facto*, ut Rabbi Salomo scribit. Ejus ideam Petro, Jacobo & Johanni in monte Thabor ostendit, Matth. 17. Sed per resurrectionem & ascensionem suam, omnia in summo gradu consummata sunt. Sedit enim nunc ad dextram Dei, & dominatur super omnem Principatum, Eph. 1. v. 21. 22.

2. *Relative*, ut indicet, quomodo glorificatio haec à Deo veniat, & vicissim ad gloriam ejus referatur, nempe *ad clarificationem justitiae ejusdem*, juxta quam humanum genus in gratiam ante recipere non potuit, quam satisfactum ei esset: & quia nos ei satisfacere non potuimus, non pepercit proprio suo Filio, sed pro omnibus nobis tradidit, Rom. 8. v. 32. qui solvere co-

actus,

Etus, quod non rapuerat, Psal. 69. v. 6. ut nos per eum redemptionem haberemus, per ipsius sanguinem, & remissionem peccatorum, Col. 1. v. 14. *Ad clarificationem misericordiae ejus.* In hoc enim commendat Deus caritatem suam erga nos, Rom. 5. v. 8. 9. *Ad clarificationem veritatis ejus,* nescit enim mentiri, Hebr. 6. vers. 18. ideo omnia impleri oportuit, quæ scripta fuerunt per Prophetas, de Filio hominis, Luc. 18. vers. 31.

Solarium capite ex clarificatione hac, Dilecti! Vos enim ejus quoque aliquando participes evadetis, nempe die ultimo, ubi Dominus transfigurabit corpus humilitatis nostræ, Phil. 3. v. 21.

2. *De emigratione.* Filioli, ait, adhuc modicum vobiscum sum; quæretis me: & sicut dixi Judæis: Quo ego vado, vos non potestis venire.

Tra hinc notanda veniunt:

1. *Est blanda compellatio.* Vocat enim Christus discipulos suos filiolos. Est enim Pater æternitatis, Esa. 9. v. 6. qui nos gignit voluntarie verbo veritatis, ut simus primitiæ aliquæ creaturarum ejus, Jac. 1. v. 18.

Hoc nostræ infer viat *consolationi.* Quia enim ipse nos vocat filiolos suos, filialem fiduciam concipere possumus, quod nos non patiatur tentari, supra id, quod possumus, 1. Cor. 10. 13. sed quomodo Pater miseretur filiorum, ita & nostrum miserebitur, Psal. 103. v. 13. nec relinquet virgam peccatorum, super sortem justorum, Psal. 125. v. 3.

2. *Abitus denunciatio.* Porro enim inquit: Filioli, modicum adhuc vobiscum sum: hoc de passione & morte ejus intelligendum

est. q. d. non moras agitabit proditor meus, & revertetur cum magna manu militum & servorum Sacerdotum, qui meprehendent, & tandem crucifigentes occident, ut aliquamdiu me non conspiciatis.

Hæc tristis valedictio, ad cujus auditum sine dubio Apostoli lachrymas miserunt.

Nos cogitemus, quod & nobis aliquando Nostratibus valedicendum sit, statutum enim est omnibus hominibus, semel mori, Hebr. 9. v. 27. Sic certissime aliquando per mortem divellemur: Sed hæc consolatio nos manet, quod die ultimo vicissim conventuri simus, ubi indissolubiles cohabitabimus semper, 1. Theff. 4. vers. 17.

3. *Sequela negatio.* Quæretis me, & sicut dixi Judæis, quo ego vado, vos non potestis venire. Hoc ipso respicit acrem illam disputationem, quæ sibi cum Judæis intercesserat, Joh. 8. v. 21.

Probe advertendum, quod Christus ad discipulos suos ait: quo ego vado, vos non potestis venire, nondum enim temporis ratio requirebat, ut Apostoli paterentur & morerentur. Solus enim Sacrificium hoc propitiatorium exantlaturus erat, juxta illud: Torcular calcavi solus, Esa. 63. vers. 3. Sicut propterea unicus Mediator Dei & hominum dicitur, 1. Tim. 2. vers. 5.

3. *De dilectione.* Hinc ait: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem.

Hoc

Hoc nobis quoque dictum est, Dilectio enim maxima est virtutum omnium, 1. Cor. 13. ideo apprimere oportet, ut illi operam demus. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est, 1. Joh. 4. v. 20. 21.

II. *Immoderata Petri presumptio.* Ubi observandum

1. *Quæsitum.* Audiens enim Servatorem dicentem: Quo ego vado, vos non potestis venire: Quærit ille: Quo vadis, Domine? Fuit hoc indicium

1. *Supina stupiditatis.* Dominus sane satis manifeste dixerat, quo vasurus esset: Quia vero id Petro, cæterisque Apostolis minus ardebat, idcirco nec intelligere volebant. Ita adhuc hodie multi conciones frequentant, & tamen nunquam ad agnitionem veritatis perveniunt, juxta illud, Hebr. 5. v. 12.

2. *Humana fragilitatis.* Vel justus enim in die septies cadit, Prov. 24. v. 16. Quinimo quis intelligit delicta? Psal. 19. v. 13. id agnoscamus oportet, adeoque cum omnibus sanctis pro remissione peccatorum Deum oremus, Psal. 32. v. 6.

2. *Responsum,* quod valde memorabile,

1. *Ratione argumenti,* quo

1. *Corrigit,* præsumptionem & temeritatem ejus, digito quasi ostendens

1. *Temporis differentiam.* Quo ego vado, inquit, non potes me modo sequi, sequeris autem postea. Coram Deo enim omnia demensa sunt, quodlibet tempus suum definitum habet. Petrus quoque crucifigendus erat, sed tempus nondum instabat, id æquo ipsi animo expectandum fuit.

Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur, Rom. 14. v. 8.

2. *Diaboli truculentiam,* Satanas, ait, expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum. Quando triticum purificare volumus, cribro id tam diu ventilamus, dum pulvis & cæteræ sordes separata sint, quamvis & nonnunquam bonum granulum petransseat. Ita, ait Christus, Diabolum omnes Apostolos collectim quasi cribro indidisse & ventilasse, instar tritici, ea spe, ut unus vel alter petransseat, ut naufragium salutis faciat, 1. Tim. 1. v. 19.

Certissime persuadeamus nobis, Dilecti! Diabolum adhuc hodie cum cribro suo circumire, & interitum nostrum querere, coram eo enim gaudet mæror, Job. 41. v. 13. Sed limites à Deo ei permisso transire nequit, ideo assidue oremus:

Tentationem neferas,  
Cum nos malignus Satanas  
Tentat, sinistre, dextere,  
Da fortiter resistere,  
Firma cataphractos fide,  
Sanctique Spiritus ope.

Sed & hoc solatium teneamus, etiam si Deus, ex sanctis tuis causis, ejusmodi tentationem nobis immitteret, quod tamen Deum diligentibus omnia in bonum cooperabuntur, Rom. 8. v. 28. Nam quemadmodum cribratio & ventilatio tritico non incommodat, sed potius hoc ipso purificatur, & à paleis aliisque sordibus purificatur, ut postmodum instar flavi auri in area conspiciatur: Ita & nos per afflictiones & tribulationes varias quasi cribramur, ut qui foris est homo, corrumpatur, & is, qui

intus

justus est, renouetur de die in diem, 2. Cor. 4. v. 16. Sir. 2. v. 1. seqq.

2. *Erigit.* Ego autem, inquit, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

Hic videmus, cui acceptum ferre debemus, ne Satanas nos in potestatem suam redigat, nempe Dn. nostro Jesu Christo, qui est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34. Hinc Ecclesia:

Nil ecce nostris viribus,  
Mox ille nos prostravit,  
Nostris at est à partibus,  
Quo Jova nos beavit.  
Si quæris ille quis?  
Jesús vocatur is,  
Rex gloriæ summus  
Nec alter est Deus,  
Hic solus est invictus.

Oves enim, inquit, meæ vocem meam audiunt, & do eis vitam æternam, Joh. 10. v. 27. 28.

3. *Dirigit.* Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos

Id nostrum quoque debitum requirit, ut si hunc vel illum in delicto aliquo præoccupatum viderimus, eum instauremus spiritu lenitatis, Gal. 6. v. 1. Jac. 5. v. ult.

II. *Ratione juramenti.* Ubi enim Petrus cedere nondum vult, sed audaciter præsumit, inquit: Animam meam pro te ponam: & iterum: Domine, tecum paratus sum, & in carcerem & in mortem ire: Ipsi Servator indicat, quam parum temeritati huic tribuendum sit. Nimirum nihil prorsus. Jurat enim ad se verat, Amen, Amen dico tibi Petre; non cantabit hodie gallus, donec ter abneges, nosse me.

Unde patescit

1. *Christi veriloquentia.* Geminum enim juramentum jurat, Amen, Amen dico tibi, quo non opus fuisset, mentiti enim nequit, quo vero abundantius ostenderet pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, Hebr. 7. v. 17. *O felices, quorum causa Deus jurat, & infelices, si ne juranti Deo credimus,* ait Tertullianus. Certe durum illis erit adversus stimulum calcitrare, Act. 9. v. 5.

2. *Christi omnipotentia.* Hic audimus, scire eum quando & quoties gallus cantaturus sit. Ita ne dubita mi Christiane, scit ille, quid facias, & ubi habites, Apoc. 2. v. 13.

13. *Omnia in providentia ejus descripta sunt, & sicut gallus sine voluntate ejus non cantat, sic multo minus pecoribus tuis absque permisso ejus, incommodum oborietur.* Ideo invoca ejus benedictionem, si ea indigueris, ipse cuilibet simpliciter dat, Jac. 1. v. 5. & benedictio ejus sine molestia datur, Prov. 10. v. 22.

III. *Diversa Apostolorum conditio.* Ubi ad animum ipsis Christus revocat,

1. *Statum pristinum,*

1. *Per propositam questionem,* in qua agitur

1. *De ablegatione.* Dicit enim se sæpe eos misisse, sine sacco, sine pera & calceamentis, quo ipso dubio procul se refert ad mandatum, quod ipsis antehac dederat: Nolite possidere aurum, neque argentum, Matth. 10. v. 9.

Hic perspicimus Christum Ministros suos non instruere externis mediis, ut coram mundo in autoritate vivant: sed mittit eos sine sacco, sine pera, & calceamentis, quæ enim nihil sunt coram mundo,

do, elegit, ut ea quæ sunt obliteraret, 1. Cor. 1. v. 28.

Interea est & manet ille Dominus mesfis, Luc. 10. v. 2. Et si adhuc hodie pauperes & abjectos mittit, non Personam ejus Auditores respiciant, sed eum, qui misit illum, memores illius Christi: Qui vos audit, me audit, Luc. 10. v. 16.

2. De sustentatione. Simul quoque eodem interrogat, nunquid aliquid defuerit ipsis. Equidem Divitiæ & copia non indicant, illos qui illis præditi sunt, in gratia Dei esse. Pauci enim offenduntur, qui illis recte uti queant, plurimi cor iisdem apponunt, Psal. 62. v. 11. dicentes obryzo: fiducia mea, Hiob. 31. v. 24. Ideo Jacobus ait: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, Jac. 2. v. 5. Sed quando hinc Servator discipulis suis ait: Nunquid defuit vobis! Hoc ipso necessariam sustentationem respicit, quam illis per ordinaria media procuravit, per illos, qui eos receperunt, & hospitium largiti sunt. In quamcunque civitatem intraveritis & susceperint vos, manducate, Luc. 10. v. 7.

Hoc ita Deus ordinavit. Quia enim qui literis discendis incumbit, ab aliis laboribus vacare debet. Sir. 38. v. 25. æquum est, ut communicet is, qui catechizatur in verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis, Gal. 6. v. 6. Quis militat suis stipendiis unquam? 1. Cor. 9. v. 7. seqq.

2. Per datam responsonem. Dicunt illi, quod nihil sibi defuerit. Idem multi experiuntur, qui licet curta sibi suppellex fuerit, tamen cum revolutione anni confiteri coguntur, nihil defuisse sibi. Hoc opus divinæ providentiæ est, qui modica benedictione sua auget, ut necessitati nihil deficiat, Prov.

30. v. 8. exemplo est vidua Sareptana, 1. Reg. 17. v. 12. seqq.

2. Statum futurum, inque eo

1. Imminens periculum, quando dicit: Sed nunc, nunc ait, alia vobis conditio erit, non ulterius cibus & potus ministrabitur vobis, verum injuria afficiemini, & persequentur vos de civitate in civitatem, Math. 23. v. 34. Imo, omnis, qui interfecerit vos, arbitrabitur cultum se præstare Deo, Joh. 16. v. 2.

Hic apparet, in hoc mundo pios constans gaudium non habere: sed licet quandoque prosperis fruuntur, ut inopia nulla laborent: attamen fortuna mox ipsis adversatur, ut cum Paulo querulari cogantur: Usque in hanc horam, & esurimus, 1. Cor. 4. v. 11. sicut enim bonam diem, sic & malam fecit Deus, ut igitur in illa fruimur bonis, sic & in hac malum feramus moderate, necesse est, Eccles. 7. v. 14. Qui id facere non vult, ille Christo dignus non est.

2. Fidele consilium, quod Christus discipulis suis suppeditat, dicens: Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram. Et qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis: quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent.

Hic duo consideranda occurrunt:

1. Verborum sonus. q. d. Ego hæcenus vos alui, vosque protexi, ne quisquam vobis molestus esset. At jam admodum tristitia & periculosa tempora instant: ut vobis opus esse videatur, ea quarere præsidia, quibus dum solenni more vobiscum eram,

non indigebatis. Theophylactus ita: *Bella & pericula significat, docens, ut ad omnia parati sint.* Ideo vult ut sacculum & petam necessariis alimentis instructam habeant, similiter & gladios emant, quibus se adversus injustam vim tueri possint. Verum non sermo est de gladiis corporalibus, siquidem Petro gladio percipienti præcipit, ut gladium in vagina recondat, Matth. 26. v. 52. sed commendat illis scutum fidei, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei, Eph. 6. vers. 17. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, 2. Cor. 10. vers. 4.

2. *Rationis pondus.* Quoniam ait, adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Hoc ipso Servator respicit instantem suam passionem & mortem, ubi vere cum iniquis deputatus est, primo in horto Oliveti, ubi Judæi, nocte in tempesta, velut maleficorum pessimum eum invaserunt, captum laqueis constrinxerunt, & ad summum Pontificem Caipham deduxerunt, ubi colaphis cæsus & ad mortem condemnatus est, Matth. 26. v. 47. seqq. Deinde in prætorio Pilati, ubi nequissimus latro Barrabas ipsi prælatus, & cum eo permutatus est, qui ramen velut latro & seditiosus, dupliciter mortis reus factus fuerat, Joh. 18. vers. ult. & tertio in loco Calvariæ, ubi inter latrones medius suspensus, & velut bipedum nequissimus, crucifixus fuit, Luc. 23. vers. 33.

Veluti igitur hoc Propheta Esaias dudum prædixerat, c. 53. v. 4. ita significat ipsis Christus, hoc æque ac reliqua Vaticinia in se complendum esse. Et hoc optimum nostrum solatium in omnibus adversitati-

bus est, quod sciamus, nihil nobis fortuito obtingere posse, sicut nec Christo Servatori quicquam acciderit, quod non per Prophetas prædictum sit. Ideo dicamus: Fiat voluntas tua, Matth. 6. v. 10. Siquidem Deam diligentibus omnia in bonum cooperabuntur, Rom. 8. v. 28.

3. *Apostolorum ingenium*, qui sensum verborum Christi minus capientes, semper terrenis cogitationibus occupati sunt, ideoque dicunt: Domine, ecce, duo gladii hic, q. d. Optime Domine & Magister, ne sis sollicitus de gladiis, ecce hic duo parati sunt, & si illi non sufficiunt, facile plures comparabimus, quibus ita hostibus resistemus, ut re ipsa experiare, quod te in periculo non relicturi, sed strenue pro te dimicaturi simus. Dominus qui ruditatem eorum facile perspicit, colloquium hoc abruptum, dicens: Satis est, q. d. O quam sinistrè verba mea interpretamini! quam parum sensum verborum meorum assequimini! ego de gladio spirituali loquor, & vos de corporalibus intelligitis. Satis est, sufficiat hæc meminisse. Veniet utique tempus, quo verba hæc mea in memoriam vobis revocabitis, & plenius intelligetis.

Perspiciamus hinc, natura nos obtenebratum habere intellectum, Eph. 4. v. 18. nec percipere ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14. Idcirco oremus Deum oportet, ut det nobis illuminatos oculos cordis nostri, Eph. 1. v. 17. quo videamus mirabilia in lege ejus, Psal. 119. v. 18. & de die in diem cresecamus in scientia ejus, Col. 1. v. 11. in qua vita æterna consistit, Joh. 17. v. 3. Imprimis vero consolatione plenum est, quod Dominus discipulos suos propterea non abji-

vid. Excerpt.  
Homilet. pag.  
373. ad h. l.

cit, sed infirmitatem eorum patienter tolerat. Similiter enim adhuc hodie affectus est erga te, me, & omnes peccatores: calamus quassatus non conteret, & linum fumigans non exstinguet, Esa. 42. v. 3. Sed si benedictus Domini ceciderit, non projicietur, quia Dominus sustentat manum suam, Plal. 37. v. 24.

Vis inferitur huic textui quando Pontifex hinc potestatem utriusque gladii, & spiritualis & politici sibi adstruere satagit. Neque enim Christus Apostolos gladiis corporalibus se munire jubet, sed hoc ipso indicat ipsis futurum periculum, quod proxime instet, ubi tacite ipsis spiritualem

armaturam commendat, quibus & nos hodie omnes & singuli indigemus. Vita enim nostra perpetua militia est, Job. 7. vers. 1. Atqui nemo coronatur, nisi legitime certaverit, 2. Tim. 2. vers. 5. ideo ferendum & certandum, si coronam vitæ, Apoc. 3. vers. 13. coronam justitiæ, 2. Tim. 4. vers. 8. immarcescibilem gloriæ coronam aliquando reportare velimus, 1. Petr. 5. v. 4.

Quam nobis omnibus tempore suo largiri dignetur ex gratia, Deus cœlestis Pater, per Jesum Christum, in Spiritu sancto, Deus laudandus nunc & in secula, Amen!

## DOMINICA OCULI.

Textus.

*Ex Historia Passionis Jesu Christi.*

EXORDIUM.

**H**Odierna Dominica dicitur Dominica Oculi, quia olim in Ecclesia Latina in introitu cecinerunt ex Psal. 25. Oculi mei semper ad Dominum. Hoc ipso Majores nostri respexerunt, ad hodiernum Evangelium, in quo de obfesso agitur, cui Diabolus linguam ligaverat, ut non potuerit loqui, aures, ut non potuerit audire, oculos, ut nequirit videre. Verum Servator Christus miserum hunc homuncionem respicit, & Dæmonem ab eo expellit, ut ex tempore

restituatur & sanetur, sicut pluribus S. Lucas describit, cap. 11. v. 14. - 18. Ideo recte dicitur Oculi, sive aperi oculos, ut consideres

1. *Triplicem Querelam*, quæ nobis in Evangelio proponitur, ubi spectes

1. *Obsessi spectaculum*, quod indicat nobis Satanae truculentiam & tyrannidem, quam adhuc hodie exercet, si ipsi Deus id permitrat. Ideo vocatur Abaddon, Apoc. 9. v. 11. O quot occæcat, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est